



[Faint, illegible handwritten text on a large, aged, cream-colored page, possibly a flyleaf or endpaper.]

1.
2.
3.
178
1.48
2.
3.
4.
5.



1786.

1. Francke, Joannes Christianus: De obligatione accessoria, principati quoad effectus civiles summata neomenquam valde.
 2. Hommelius, Christianus Gottlieb: De causis studii singularis Friderici I Imperatoris in jus Romanum.
 3. Wanderspieg, Gottlieb: De loco creatori, qui per equitatem executionem pignus praetorium conceditur, in concursu in executorum ex legibus Saxoniacis tribuendo
1787. ^{1^{te}} Boehmer
1. ~~48~~ Francke, Joannes Christianus: De jure stanti in comitiis provincialibus.
 2. Girdler, Crato Henricus: Animadversionum ex jure universi de praetorum speciebus I.
 3. Kuegel, Gottlob Christianus: Ordini juridici . . . Decanus, lectori benevolae salutem (et disputationem in hon. Joanni Ant. Trunzelli Glucii Glucii (Glueck) inventat.
 4. Kuegel, Joannes Gottfried Christianus: Varia juris maletemata executionis
 5. Kuegelius, Gottlob Christianus: Praesentiam in processu executionis interdum etiam ex legibus Saxoniacis locum habere observat.

6. Leontaud; Johannes Gouffard: Vinorum abominis instell'es
conlegit suspectorum Tocimesias curae repetitae et novae
7. ^aMeerheim, Godefridus Augustus: Ordini philos... De causis
... Solemnis (imperialis) utriusque laureae... phisico
sophiae et ubi practicae candidatis indicit prolatione
arbitra: De utilitate horarum politice primis lineis esse
Jenigandi p. I.
7. ^bKaschig
8. Tilius, Joannes Daniel: De pluvia et tonitru
9. Ulrich, Carolus August Christian: De bonis tutorum feudales-
factae hypothecae, quae in reliquis bonis pupillae
et minores gaudent, haud obnoxio
10. Ulrichus, Carolus Christianus Augustus: De indole actionis
de recepto ejusdemque non hodierno foras
11. Willich, Christianus Fredericus: De Visaron officiorum
Civitatum et vasalliticorum ratione
1788
1. Gurlerus, Carolus Henricus: De legato rei commercis sacrae.

2. Heckerus, Antonius Marcellus: De satisfactione personis imperiumque
femine illustribus de injuriis acceptis praestanda.
3. Panti, Carolus Grollius: Ord. juris Dei . . . Decanus:
Lecturi benevolae s.p.s. (ad Regulatorem Christianum
Universitatis Francisci innotuit)
4. Rindler, Franciscus Valdeus: Leges Moris morales praestant
fiores esse legibus Lycurgi et Solonis
5. Schindl, Antonius Ferdinands: Oratio phil. Decanus:
conferebant utriusque laurea solennia . . . rite
facienda philosophiae et artis publicae candidatis
inducta praemissa promotione de jurisprudentia Theol.
Oratio
6. Schindl, Antonius Ferdinands: De jure singulorum
hominum naturalibus propter societatem civilem immo
tamis

F. Schulze-Kohlshütter

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]



17900.

15

1787

9

DE
BONIS TUTORVM FEVDALIBVS TACITAE
HYPOTHECAE, QVA IN RELIQVIS HORVM
BONIS PVPILLI ET MINORES GAV-
DENT, HAVD OBNOXIIS

PRAEFATVR

PRAELECTIONESQVE SVAS

INDICIT

SEMESTRI HIBERNO HABENDAS

D. CAROLVS AVGVST. CHRISTIAN. VLICH.



VITEBERGAE


LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII.

DE
HONORABILISSIMO PATRIBUS
HONORABILISSIMO PATRIBUS
HONORABILISSIMO PATRIBUS
HONORABILISSIMO PATRIBUS

TRAECTIONESQUE SVAS

D. CAROLUS AUGUSTUS CHRISTIANUS VICE





DE
BONIS TUTORVM FEVDALIBVS TACITAE
HYPOTHECAE, QVA IN RELIQVIS HORVM
BONIS PVPILLI ET MINORES GAV-
DENT, HAVD OBNOXIIS

§. I.

Pignus, pro iure ipso acceptum, quod creditor ex contra-
ctu, quem vocant, pignoratitio, accedente, vbi eam im-
perat lex, vel consuetudo prouincialis, iudicis confirma-
tione, in bonis debitoris nanciscitur, dispesci solet, vt patet no-
tunusque est omnibus legum peritia instructis, in *expressum* et *taci-
tum*: quorum sicuti illud partium conuentione, ita hoc absque
debitoris consensu ab ipsa lege in huius bonis creditori constituitur.

A 2

Tale



Tale tacitum pignus pupillis quoque et minoribus in bonis tutorum et curatorum suorum leges non mode ciuiles, si non antiquae, recentiores certe ^{a)}) verum etiam Imperii ^{b)}) imo Electorales Saxonicae ^{c)}) luculenter indulgent. Quum vero tacitum illud pignus, seu hypotheca tacita, vt vulgo vocari consuevit, qua pupilli et minores in bonis tutorum et curatorum suorum gaudent, ad ea pertineat ^{d)}) tacita pignora, quae non singula, sed vniuersa debitoris bona adficiunt, quaeque dicere amant *generalia* ^{e)}), leges insuper mox laudatae, inprimis Ord. Tutelar. Sax. Nou. illis in cunctis horum bonis eandem largiantur et confirmant, quaestio inde oritur subdifficilis, nobis iam dissoluenda: *num bona etiam feudalia*, si quae habeat tutor, vel curator, huic oneri obnoxia sint?

§. 2.

Pendet autem huius quaestionis decisio tota ex discussione alius: *utrum videlicet ipsa feudorum indoles tacitas hypothecas admittat, an potius easdem plane respuat*; adeo quidem, vt priusquam illi dirimendae incumbamus, de hac definienda nos oporteat esse sollicitos. Conemur ergo ante omnia docere, tacitis hypothecis

a) l. 20. C. de admin. tut. et curat. l. f. §. 5. et 6. C. de cur. fur.

b) Reform. Polit. d. a. 1548. § 31.

c) O. P. S. Tit. XLV. §. 2. Mand. d. d. 24 Sept. 1734. Rescr. d. d. 4. Jun. 1742. et O. T. S. N. d. d. 10. Oct. 1782. Cap. X. §. 3.

d) Bachov. de pign. et hyp. lib. 1. c. 9. n. 4. Hub. ad tit. D. quibus ex causis pignus vel hyp.

e) Ratione obiecti scilicet pignus diuiditur in *generale*, quod omnia, et *speciale*, quod certa tantum bona adficit, l. 9. C. quae res pign. l. 1. §. 1. l. 15. §. 1. l. 13. et 34. D. de pign. Quae diuisio et expresso et tacito pignori communis est. Hefl. pand. §. 1086.



eis in feudis locum non esse relictum, deinde quid circa pupillos ac minores ipsos hac in re iuris sit, videamus. ¹⁾ Vbi quidem in re non adeo difficili versabimur. ²⁾ Etsi enim mihi saltem iuris feudalis, cum Longobardici, tum antiqui patrii textus, euoluenti vllum reperire haud licuerit, quo nominatim feuda ab obligatione taciti pignoris absoluantur, ipsa tamen feudorum ratio ac indoles mirabilem propositionis, quam defensuri sumus, probandae copiam nobis suppeditat.

§. 3.

Haec feudorum indoles ac natura ipsa, siue a primordio repetatur, siue quemadmodum nunc comparata est, spectetur, maxime refragatur, quo minus tacitis hypothecis feuda onerari possint. Ea enim ab initio mero precarii iure a vasallis tenebantur, adeo, vt ex dominorum penderet indulgentia, quousque iisdem vasallos perfrui pati vellent. Nec de ipso feudo disponendi facultas penes vasallos fuit, sed solum ius fructuum, saepius salarii loco propter officium, quo perfungebantur aulicum aliudue, inde percipiendorum. Et licet successu temporis plus iuris, dominium nempe illud vtile vasalli in feudis sint consecuti, plurima tamen feudis perpetuo inhaeserunt ex primaeua sua indole, et inde etiam factum est, vt inuito domino nullo onere grauari possint. ³⁾ Quod nec hodie aliter se habet, cum, quamuis pinguiore longe iure vasalli nunc, quam olim iure in feudis gaudeant, plenum tamen feudi dominium penes vtrumque sit, et dominum et vasallum, adeo, vt neuter absque alterius consensu in iis pignus constituere queat. ⁴⁾ Eius generis autem

A 3

bona,

a) Stryk. V. M. ff. Lib. XX. Tit. II. §. 23.

b) arg. l. 4. ff. qu. res pign. l. 9. §. 1. ff. de pign.



bona, quae non sunt ita in potestate possessoris, vt libere possit de iis solus disponere, ex natura sua sub tacito pignore non comprehenduntur, sub quo tantum continentur, quae sunt sub arbitrio debitoris. ^{c)}

§. 4.

Non igitur mirandum est, ipsos iuris feudalis conditores, non modo veram feudi alienationem, seu ipsius domini utilitatem translationem in alterum, verum etiam, quae cum alienatione ipsa pari iure iudicatur ^{d)}, cum viam munitur futurae distractioni et eventualem alienationem contineat, ^{e)} oppignorationem ferio inhibuisse. ^{f)} Quod interdictum de feudo non alienando eo usque extenditur, ^{g)} vt in generali alienatione vasalli feudum non contineatur, nec alienatum censetur, nisi id nominatim dictum sit. Quod non incongrue adplicatur ^{h)} ad obligationem feudi pro aere alieno, ita, vt sub hypotheca bonorum generali non contineatur hypotheca feudalis, potius feuda nunquam non excepta ab omnique pignoris nexu libera credantur, nisi hoc ad ea quoque diserte directum fuerit. Quod vel de iis ipsis prouinciis affirmant ⁱ⁾, vbi feuda quoque aeri alieno obnoxia sunt, inque iis pignus conuentione potest constitui. Ab hac prohibitione oppignoratione feudorum expressa accommodata argumenta-

c) idem c. 1.

d) l. 7. C. de reb. alien. non alien.

e) l. 9. §. 1. de pign.

f) II. F. 55. II. F. 8. in fin.

g) II. F. 26. §. 17.

h) Boehm. princ. iur. feud. §. 269. n. 2.

i) Stryk. E. I. F. cap. 21. quaest. 22. ibique laudat. Mev. p. 4. Dec. 321.

mur ad tacitam, tum in genere, siquidem quae de expresso pignore constituta sunt, ad tacitum etiam pertinent, ^{g)} tum in specie in hac quaestione, propterea quod tacitae hypothecae non minor, quam expressae vis ac efficacia est, cum ista non secus, ac haec, creditori ius conciliet ipsi rei inhaerens, adeoque dominum haud leuiori incommodo adficeret, quam expressa hypotheca ipsa. ^{h)} Eo accedit, quod pignus illud tacitum, tanquam ius singulare, strictissimae interpretationis sit, ⁱ⁾ adeoque sine lege non excogitandum, nec locus in eo relictus extensioni, si vel maior ratio, quae eam suadeat, adsit. ^{k)}

§. 5.

Ex his facillime diiudicatu est, quid de eorum opinione sit sentiendum, qui in hac materia ad ius civile recurrendum, ex eoque quaestione, in qua dissoluenda hactenus occupati sumus et adhuc occupamur, vtrum videlicet feuda tacitas hypothecas recipiant, nec ne, tanquam in iure feudali haud definitae, decisionem mutuandam arbitrantur ^{l)}; propterea quod tacitarum hypothecarum mentionem ius feudale plane opprimat, earum tamen fundamenta in corpore iuris civilis extent luculentissima, caeque ad omnia quaecunque bona extendantur, cum in iis non ad praesumptam debitoris voluntatem, sed ad legis dispositionem respiciatur, quae nihil hic excludere videatur.

Quos

g) Leyf. spec. 226. med. 3.

h) Westphalis Deutschlands heutiges Lehnrecht, Abhandl. 14. §. 1. W. ad Str. E. I. F. p. 582.

i) Arg. l. 6. §. ult. C. de bon. qu. lib. j. l. 14. 16. D. de LL.

k) Berg. O. I. lib. 2. tit. 5. th. 1. n. 3. et lib. 1. tit. 1. th. 12. n. 1.

l) Quam sententiam fouent cum nonnullis alijs Hub. prael. ff. ad tit. qu. in reb. pign. vel hyp. tac. §. 1. et Finckelth. disp. 1. art. 9.



Quos quidem iam Strykius ^{b)} refutauit, egregie respondens, regulam de iure feudali ex lege ciuili supplendo, de iis folis capiendam esse, quae ipsi feudorum naturae non contrariantur. Nos plane nullius aestimandam censemus istam aduersariorum obiectionem, superstructam quippe falso principio, quasi iure feudali haud definitum sit, vtrum feuda recipiendarum tacitarum hypothecarum capacia sint, nec ne. Cum enim lex feudalis interminetur, ne vasalli feuda pro aere alieno obligent, et, quemadmodum supra docuimus, recte colligatur, in re, quam expresse pignori subici lex vetat, tacitae quoque hypothecae locum haud esse relictum, falsa est adseueratio dissentientium, quasi ex textibus iuris feudalis non constet, num locus detur tacito pignori in feudis, an non. Ad hoc enim, vt quaestio quaedam iure feudali iniudicata relicta dici queat, requiritur, vt nullo idoneo argumento nullaue legitima interpretandi ratione eadem ex isto iure dirimi possit. ^{c)} Alioquin enim lex feudalis, vt ad decisionem quaestionis feuda concernentis ius ciuile aduocemus, nequaquam patitur. ^{d)}

§. 6.

Quamquam autem ipsa natura ac indoles feudorum eorumdem pro aere alieno obligationi valde refragetur, hoc tamen in tantum modo procedere communiter volunt, ^{e)} in quantum obligatio feudi pro debito ipsi domino damnosa futura sit, ita quidem, vt in folius vasalli heredumque eius praeiudicium valida

^{b)} in V. M. ff. lib. 20. tit. 2. §. 23. et 24.

^{c)} Struv. S. I. F. Cap. I. Aphor. XIV. n. 1.

^{d)} II. F. 1.

^{e)} Boehm. c. l. §. 268. Horn. Iurispr. Feud. Cap. XIX. §. 3.



valida sit, quatenus inde dominus non praeiudicium sentiat. Exinde noua quaestio oritur, num scilicet, sicuti vasallo licet in sui suorumque descendendum damnnum feudum obligare pro debito, ita etiam tacita hypotheca in eo locum obtineat hoc effectu, ut quamdiu feudum penes eum eiusque prolem sit, tacitae hypothecae nomine personis, quibus lex tale ius indulget, v. c. pupillis, si forte tutor habeat feudum, illud obligatum sit. Quam quidem Barbosa^{b)} et Carpzouius^{c)} affirmant acriterque propugnant, cum aliis putantes, quidquid vasallus licite possit in suum praeiudicium expresse oppignerare, illud quoque, quo minus tacito pignore adficiatur incapax non esse.^{d)} At enim vero hoc ne cogitari quidem, nisi in pignore expresso, potest. Ad id enim, ut vasallus licentia sibi a lege haud denegata vtatur, constituatque etiam in solius sui suorumque damnnum pignus in feudo, necessario eius consensus requiritur, adeoque hoc in tacito contingere neitiquam potest, quippe quod citra consensum domini ab ipsa lege inducitur innititurque non vero, sed a lege ficto consensu: iam vero legem, quo minus feuda pignori subiiciantur in vniuersum prohibentem, eandem ipsam feuda pignori obnoxia facere, sine manifesta contradictione statui nequit. Merito proinde amplectimur communem DD. opinionem de bonis feudalibus ab onere taciti pignoris exemptis; idque eo magis, quo certius constat, eam in Electorali Saxonia nunquam non regnasse, ac eandem ob causam deinceps variis legibus Saxonis diserte comprobata esse,^{e)} ut igitur, in Saxonia certe Electorali, ambigi amplius haud possit, quin immunia sint feuda a pignoris taciti onere.

§. 7.

b) ad l. 24. D. sol. matr. dos quemadm. n. 73.

c) in disp. de oner. vas. feud. Dec. 3. pos. 1. n. 16.

d) Str. in V. M. ff. lib. XX, Tit. II. §. 22.

e) Const. Aug. 25. P. II. et O. P. S. Tit. XLV. §. 3.



Vindicata igitur, ut mihi quidem videtur, sufficienter feudorum immunitate a taciti pignoris nexu, eam ipsam quaestionem, in libelli limine propositam, num videlicet ad bona tutoris feudalia, quam iura ciuilia pupillis in huius bonis indulgent ac tribuunt, tacita hypotheca, sese extendat, simul excussimus. Quidquid enim valet de genere, valeat necesse est de singulis eiusdem speciebus, nisi intuitu vnus alteriusue peculiaris exceptio doceatur. Qualis num forte in Saxonia nostra intuitu pupillarum existat, in praefens nobis inuestigandum est paullo studiosius. Neminem nimirum fugiet, in Saxonia pupillis ius competere, ^{a)} ex bonis tutorum feudalibus, si modo hi ab ipso Electore, tanquam domino directo simul, vel eius nomine ab Aulico Regimine, cui simul inest Curia Feudalis, aut ab alio tandem iudice quocunque, modo tamen hic simul dominus feudi directi sit, constituti sint, in subsidium, si vel non habeat tutor alia bona praeter feuda, aut habeat, at minus sufficientia ad damni forte dati reparationem, incolumitatem suam quaerendi; quod ius incipit a tempore confirmationis tutorum. Num igitur hoc, modo memoratum, ius pupillis in bonis tutorum lege Saxonica tributum, species sit tacitae hypothecae, adeoque lex Saxonica a dispositione iuris communis quoad pupillos recedat, res est, quae iam in quaestione venit. Nos quidem hanc quaestionem negamus cum ob naturam pignoris, quod tacitum dicere amant, tum propter rationem, in laudato loco O. P. V. redditam, ex qua bona tutoris feudalia pupillis obligata esse debeant. Ratio nempe, cur pupilli iure pignoris gaudeant in bonis tutorum, ponitur in eo, quod confirmatio loco consensus ex parte iudicis simul directi in feudi oppignoratio-

nem

a) vid. O. P. S. Tit. XLV. §. vlt. et Mand. d. a. 1734.



nem tacite declarati haberi debeat;^{b)} proinde quoque a tempore demum confirmationis, non, uti alias a tempore tutelae delatae, per illamque ipsis ius acquiritur in tutoris bonis. Quodsi nunc indolem taciti, quod vocatur, pignoris contemplerur, statim patet, rationem illam eidem accommodare haud posse. Quum enim hic vi ipsius legis citra debitoris domini-que consensum minime pignus tribuatur, sed eius vis vnice ex vero consensu, modo non verbis, sed facto, confirmationis nimirum, declarato, pendeat, haec pignoris species expressae magis, quam tacitae^{c)} hypothecae naturam redolet.

§. 8.

Proinde non ad stipulamur Carpzouio^{d)} existimanti, fauorem pupillorum, qui in iure alias magnus est, efficere, ut hisce obligata sint bona tutoris feudalia. Hic enim fauor commouit quidem legislatorem Serenissimum, ut hunc in modum pupillorum securitati incolumitatique prospiceret, non autem ipsum

B 2

fun-

b) quod singulare est, cum alioquin ipsius hypothecae quidem ne confirmatio consensum domini inuoluat, Boehm. c. l. §. 269. potius dominus, tanquam iudex, contractum pignoris confirmasse credatur, Werher. P. II. obl. 467.

c) Fatendum est, pignus illud, quod ICti sub *taciti* nomine intelligunt, quodque iam in ingressu huius libelli definimus, incongrue dici *tacitum*, cum potius dici deberet *legale*, quod efficaciam suam soli legi debet, quae certis subiectis ius pignoris in alterius bonis, eo vel inuito tribuit. Conuenientior est appellatio pignoris *taciti* ei, quod dicunt *conventionale tacitum*, ubi ex factis colligitur consensus, qualem proprie et recte vocatur *tacitus*. Hertii Disp. de pignore conuentionali tacito, et Leyl. sp. 223. m. 3. Exemplum talismodi taciti pignoris proprii, seu conuentionalis exhibet nobis L. f. C. quae res pign. oblig. poss. vel non.

d) in supra cit. disp. dec. 3. pos. 9.



fundamentum eius, quo gaudent, pignoris est, quod in sola confirmatione, ex qua consensus in oppignorationem colligitur, ponendum est, vt contra Carpouium monet Titius.^{b)} Manifestum exinde est, hoc pignus locum non inuenire in bonis tutoris legitimi, aut a iudice, qui simul dominus directus non est, constituti et confirmati. Neque etiam hoc ius pignoris, quod in laud. loc. O. P. S. pupillis adscribitur ipsi feudo inherere dici potest, cum non pariat actionem hypothecariam realem aduersus quemcunque praedii oppignerati possessorem competentem, sed aduersus solum tutorem, tanquam debitorem eiusque prolem vim exferat suam; nec agnatis, vel simultanee inuestitis detrimento sit, quippe qui ne ex fructibus quidem feudi ad se deuoluti soluere obstringuntur pupillo, c) talique pacto magis ad naturam priuilegii personalis, quam iuris in ipso feudo radicati accedere videtur.

§. 9.

Interim ea, quae in pupillorum fauorem sancita leguntur in O. P. S. c. l. merito etiam ad minores horumque curatores proferentur. Licet enim vox: Mündlein ex vulgari loquendi vsu solos pupillos significet, cum tamen, in hac certe doctrina iure Germanico non adeo stricte distinguatur inter pupillum, et minorem, tutorem et curatorem, imo Germanos veteres omni discriminis quod ius Romanum inter pupillos et minores obseruat notitia fuerint destituti,^{d)} non inepte facere nobis videmur,

b) im Deutschen Lehnrechte Cap. XIX, §. 34.

c) Homm. Rh. obf. 213. n. 1. 2.

d) Gaertneri Diss. iur. Germ. inter pupill et minor. tutor. et curator. non distinguai, et Leyf. spec. 327. m. 1. lqq. De qua re in Saxonia Electorali eo minus

mur, si minores quoque iuris illius, pupillis lege Saxonica indulti, participes praedicemus. Alia porro quaestio moueri posset, num quae dicantur in O. P. S. c. l. de tutoribus, ad omnes tutores ac curatores pertineant, aut ad solos tutores feudales sint restringenda. Hos posteriores quidem quod attinet, quin in horum bonis ius illud pignoris saepius memoratum pupillis competat, dubium nullum superest, cum semper a domino feudi directo, cui soli ius dandi tutorem feudalem, tanquam actus iurisdictionis feudalis, competit,^{b)} constituantur. Sed non solis vassallis impuberibus vel minoribus hac sanctione prospectum voluisse legislatorem serenissimum, ipsa generalior tutorum elocutio testatur. Insuper quum hoc solummodo attendatur, a quo facta fuerit tutorum et curatorum constitutio et confirmatio, nec negotiorum, ad quae curanda tutor datus fuerit, ratio habeatur; merito accedimus Hommelio^{c)} existimanti, hanc saepius laudatae O. P. S. dispositionem ad tutorem feudalem haud restringendam esse, sed pertinere potius verba ad tutores etiam allodiales, modo dominus directus, qui apud nos in terris Electoratus simul princeps territorii est, aut dominus intermedius, ab Electore dependens, eosdem dederit.

§. 10.

Pupillis igitur atque minoribus, licet alias eorum fauor in iure magnus sit, taciti pignoris iure in bonis tutorum et curatorum

B 3

num dubitari potest, quo disertius abrogata est differentia inter tutores, et curatores pupillos, et minores, quae iure ciuili inter vtrosque intercessit. O. T. N. cap. III. §. 1.

b) Horn. Ipr. Feud. cap. VI. §. 18. O. T. N. cap. XXI. §. 1.

c) Rh. obf. 213. n. 5.



torum suorum, vi cuius ipsum feudum obligatum iis sit, et quod ipsis actionem realem aduersus quemcunque feudi possessorem ad obtinendam huius possessionem conciliet, prout deduximus, haud gaudent, nisi forte quis illud ius, quod illis indulget pluries allegata O. V. ita vocare velit. Nec hodiernum res aliter se habet. Quamuis enim hypothecae tacitae in vniuersum ac generatim, exceptis paucis, in forum saxonicum reuocatae et pupillis ac minoribus praesertim restitutae sint,^{a)} ideo tamen non putandum, eas etiam iure Saxonico recentiori in feudali- bus bonis sibi locum vindicare posse. Quid enim esset hoc aliud, quam fateri tacite, dispositioni supra laudatarum legum Saxoniarum per leges eas recentiores, quibus restitutae sunt tacitae hypothecae, derogatum esse; quod vt statuamus, ratio iuris non permittit, cum allegatum Mandatum, quo in vsum reuocatae sunt hypothecae tacitae, de omnibus generatim lo- quatur, adeoque, tanquam lex generalis, leges supra memora- tas, anteriores licet, vt pote speciales non potuerit tollere, si- quidem legem posteriorem generalem, non tollere priorem spe- cialem, regula iuris sit notissimi. Et quamuis O. T. N. c. l. pu- pillis tacitam hypothecam tribuat in vniuersis tutorum bonis, nec cit: Mandatum inter bona distinguat, quae debeant esse subiecta tacito pignori, quaeque non, nostrum tamen erit hic distinguere, cum supra adducta Const. Aug. et O. V. bona feu- dalia ab allodialibus seiyngant; iam vero regaliam satis vulga- rem: lege non distinguente, nec nostrum esse distinguere, se- quens

^{a)} Abrogatae nimirum in Saxonia Electorali per O. P. R. tacitae hypothecae bi- na vice prorogatae sunt ad biennium Mandatis d. a. 1730 et 1732. tandem vero Mandato d. a. 1734. omnes in vsum reuocatae, excepta ea sola, quam ex lege ciuili habent legatarii, aliisque paucis, a Bergero O. I. lib. II. tit. 5. th. 5. n. 3. memoratis, vt vigeant tandiu, donec alia recentiore lege aliter cautum fuerit; quod quidem nondum factum.



quens limitatio semper comitatur: nisi alia lex distinguat, vel ratio ex ea sumta id faciat. Hanc interpretandi rationem adiuvant ipsa verba in saepius laudato Mandato obuia: vti antea, ita in posterum, id est: quomodo et in quantum tacitae hypothecae valuerunt antequam abrogatae erant per O. P. R. ita reualescant valeantque in futurum. Id, quod etiam ad pupillos ac minores extendit O. T. N. c. l. dum praecipit, tacitas hypothecas competere debere pupillis et minoribus in posterum, quemadmodum iisdem gausi sint haecenus ex tenore Mandati d. a. 1734-

§. II.

Quod reliquum est, neminem puto inueniri, qui ea, quae diximus de bonis tutorum feudalibus tacitae hypothecae haud obnoxii ad fructus feudi trahat, eum hos non feudi, sed alodii iure censeret, sciatur ab omnibus, adeoque ambigi nequeat, vtrum tacitis subiaceant hypothecis, nec ne. ^{a)} Simili modo in feudis, quae *alienabilia* vocant, tacito pignori locum relictum esse, dubium non habebit, cum illa vel inconsulto domino omnimodo alienari, multoque igitur magis obligari tantum pro debito possint, adeoque ratio, ob quam tacitum pignus feuda respiciunt, iis haud possit accommodari, et ratione legis cessante, huius ipsam dispositionem cessare, a nemine ignoretur.

Restat, vt haec praefatus praelectiones, volente Deo futuro hiberno semestri suscipiendas, enumerem.

I. Horis per septimanam octo ius civile secundum ordinem pandectarum, praeeunte Ludouico in doctrina pandectarum tradam.

II.

^{a)} Str. U. M. ff. lib. XX. tit. II. §. 26.



- II. III. per hebdomadem horis Schorchio duce Romani aliorumque iurium in Germania vigentium fata enarrabo. Item
- III. IV. per septimanam horis principia processus iudicarii auctore Griebnero exponam, tandem
- IV. disputatorias exercitationes, ea quam hucusque ex illis percepi voluptate, statuta hora sum continuaturus.

Dabam Vitebergae die XXVIII. Septembris A. R. S. MDCCLXXXVII.



Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle


004 335 899



3

f
sl.








7900.

15
1787 9

DE
BONIS TUTORVM FEVDALIBVS TACITAE
HYPOTHECAE, QVA IN RELIQVIS HORVM
BONIS PVPILLI ET MINORES GAU-
DENT, HAVD OBNOXIIS
PRAEFATVR
PRAELECTIONESQVE SVAS
INDICIT
SEMESTRI HIBERNO HABENDAS
D. CAROLVS AVGVST. CHRISTIAN. VLICH.



VITEBERGAE
LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII.

